



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XLV. Vtrùm sit absoluendus, qui in articulo mortis, vi morbi impeditus,
integrè confiteri non potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput III. De Qualitate

beros esse: Nam, vt de Quadagesimali ieiunio, vnicum extat præceptum; qui singulis diebus ieiunare nequit, pro virium facultate ad aliquorum saltem dierum ieiuniū obstringitur, & non ab omni ieiunandi necessitate liberatur: Ita quoque poenitens vsque ad eò nō est ab omni Confessione immunis, si sibi aut aliis periculosa sit Confessio integra; quin vigore præcepti de confitendo, nihilominus teneatur ea confiteri, quorum Confessio nemini queat obesse.

Questio XLV. Estne absoluendus, qui in articulo mortis, vi morbi impeditus, integrè confiteri non potest?

Responsio. **Q**uandocunq̄ue peccatum aliquod infirmus in illo articulo, vel voce, vel nuru explicat in particulari, quantumcunq̄ue veniale sit, si vltra progredi non valet, est Sacramentaliter absoluendus. Et ratio est, quia illa Confessio, postquam est expressio peccati in particulari, de quo Sacerdos iudicare potest, caret vitio diuisionis: Nam si aliqua est causa legitima diuidendæ Confessionis, nulla esse potest alia, quàm impossibilitas, quæ à natura procedit, non etiam mala voluntate.

Nec satis est, respondere, quòd tum contritio illi sufficiet apud DEVM: Nam euenire possèt, vt ille solùm sit attritus, qui per-

Sacramentum fieret contritus; nec tamen illicò subueniri illi oportet per Eucharistiam, & cùm ius habeat ad Absolutionem, quam denegare, ingens foret sacrilegium cum iniuria coniunctum; eo præsertim articulo, quo, in re dubia in eam partem inclinandum est, vt Ecclesiasticis subsidiis exeunti ab hac vita succurratur.

Estne is infirmus, qui quidem aliqua contritionis signa in genere edit; Veruntamen nec voce, nec nutu in particulari aliquod peccatum exprimere potest, absoluendus?

Quæstio XLVI.

INFIRMVS, qui aliqua contritionis signa præsentē vel absente Sacerdote dederit, Sacramentali ritu ab omnibus peccatis absoluendus est. Id quod probatur iis, quæ sequuntur vrgentibus ac firmis argumentis.

Respōsio.

PRINCIPIO, hanc sententiam confirmat Canon Cōcilij Carthaginensis quarti, vbi sic definitur: Is qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit; dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat Pœnitentiam. Et si continuò credatur moriturus, reconcilietur & infundatur ori eius Eucharistia.

Con. Cartha. 4. 26. q. 6. capit. Is qui.

R V R S V S, hunc in modum statuitur:

G 7

Si per